

www.e-rara.ch

Bonifacius VIII. e familia Caietanorum principum Romanus pontifex

Selby, Richard Wilfrid

Romae, 1651 ...

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-31275>

Archidiacono Narbonensi e Galliis exire iusso; Philippus convocat comitia regni; [...] Caput
XIX.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Archidiacono Narbonensi e Gallijs exire iusso; Philippus conuocat comitia regni: Petrus Floza grauiiter in Bonifacium inuehitur: Prælati Gallie in verba Regis iurantes, excusant se apud Pontificem: Philippus Romam mittit Episcopum Antisiodorenses; Interdicit commercium cum Romanâ curiâ: Defectio Flandorum: Et prælium Cortracense.

CAPVT XIX.

BONIFACIUS, non multo post literis ad Philippum datis tenore consimili, per eundem Narbonensem causam egit Præfulum, qui captiui detinebantur, Christianæ Reipublicæ, Apostolicæ, & Romanæ Sedis. Vt illos dimitteret, afflictis in Syriâ rebus opitulatum iret, omitteret famæ & animæ periculo, in petram incurrere, in quam quicumque persequendo ceciderit collidetur, Narbonensi præterea dedit in mandatis, vt laboraret congressu primo, modestiâ & comitate expugnare iracundiam Regis, & tum demum agere censoriâ virgâ, eumque & fautores anathemate ferire, publicis priuatisque sacris regno interdiceret, cum pertinacè videret. Difficile semper fuit, vt optime non nemo dixit, animû ab irâ flectere iâ cõcitatum, nec quicquid magis regale putat, sceptris superbas quisquis admouit manus, quam ire quâ cœpit viâ. Nam Archidiaconus, raptis ab eo literis, vltiora edicta prohibitus euulgare, adiuncto Apameensi Episcopo iussus est e Galliâ exire; cautumque, ne quis pecunias Romam deferret. Quinimo tamen si Philip-

Seneca in mea-
dia actus 2.

*E literis Præ-
latorum Gal-
liæ ad Bonif.*

pus regio diplomate constituisset, *Vacantium ec-
clesiarum fructus, res, bona iura manu teneri & custo-
diri debere absque aliquo detrimento, ac si ipsius fuissent
propria, executioni tamen non voluit illud demandari,
ne ad nutum Pontificis videretur fecisse.*

Sub decimo Aprilis eiusdem anni millesimi tre-
centesimi secundi, Philippus, conuocatos tum sæ-
culi, tum clericalis militiæ dignitate conspicuos
Proceres, collegia, & vniuersitates Regni, plenis
comitijs instantius requisivit, præcepit vt dominus,
vt amicus rogauit, quatenus, consilio & opere in-
cubere vellent conseruandæ antiquæ libertati Gæ-
tis, quam Bonifacium violatum ire docebat. Con-
tinuo respondere Proceres se, bona, fortunæq. pos-
fidere beneficio Regis, Regios in Bonifacium ani-
mos laudare, adesse velle tam pulchræ illius menti,
ad bonorum, sanguinis, vitæ oppignorationem.
Quod si vero ad Bonifacij, vel minas, vel monita,
se dimitteret, vel quod absit, toleraret ab eo gesta,
ea ipsi nullatenus sufferrêt. Nec defuit Petrus flo-
ta, *semitidens*, vt Bonifacius alicubi habet, *& men-
te totaliter excacatus*, qui multis Bonifacium probris
insecutus, multis conuicijs proscidit. Sed hic præ-
clarus vir, vindicante numine, tantam impietatem,
non multo post, in prælio Cortracensi luit.

*In datis Ana-
gnæ Calend.
Septemb. an.
1171.*

Prælati autem & Principes Ecclesiarum, vsi pri-
mum non vulgari persuasione ad Regem & Proce-
res, ne tam graui scelere sese commacularent, &
spiritualis vinculum vnionis, quæ Romanam inter
ecclesiam vigeat & regnum Galliæ, Patrem & fi-
lios,

lios, vicarium Christi & Christianos, difrumperēt, docebant longe abhorrere a Bonifacij mente, aut Gallia libertatem infringere, aut quicquid Regi indecorum attentare. Multa dein prece, postulabant inducias, vt re ancipiti, quod factu optimum deliberarent. Lentius festinandum; & negotio difficili nihil tutius consilio, nihil impetu magis periculofum; Illud p̄claros subsequi fructus, hunc p̄nitentiam feram. At Regni proceres, omni intercedere dilationi, deliberandum negare, cedere exigere responsum, ac, *prædicare patenter ac publice vniuersis, quod si quis voluntatis contraria appareret, ex tunc pro inimico Regis notorie haberetur.* Cum vero infurgerent vndique frementia scandala, crescerent angustie, Ecclesijs & sacerdotalis fori viris suprema pericula intentarentur, abhorrerent, fugerentque laici confortia clericorum, a suis consilio & actionibus eos abdicando, ac si proditoria factio in regnum fuissent conscij, ad contemnendas Ecclesiæ censuras se pararent, grauissimo, & animarum periculo, & exitio Regni: respondendum duxerunt, se in personæ, honoris, libertatis iuriumque regni defensione Philippo adhæsurus.

Ne tamen Bonifacio, minus viderentur detulisse; eum ue vt verum legitimumq. Pontificem, successorem Petri, Vicarium Christi probarentur non coluisse, supplicarunt Regi, vt quia ad *Apostolica sanctitatis*. (eum titulum Bonifacio attribuebāt) obedientiam tenerentur, ad benedictionis illius pedes, iuxta tenorem vocationis, permitterentur se confer-

re.

Ex literis Prælatorum Gallia ad Bonif. Ibidem.

Ibid.

re . Philippo auersante preces, tres e gremio miserūt Romam, qui causam agerent cœterorum, & docerent, haud ipsis permissum proficisci in urbem, ad imperia accipienda: *Ne Gallia Regnum pretiosis iocalibus, incomparabilibusque thesauris, clypeis fortium preferendis, sapientiã videlicet pastorum, & sapientum etiam aliorum, quorum fidelis maturitate consilij, ac providentiã circumspectã regi, ac dirigi Regnum ipsum, firmari fides, sacramenta ecclesiastica exhiberi, ministrari iustitia, & per eos, facultatibus & diuitijs vacuatum penitus & exhaustũ, dubij casus euentibus, mirabilis ruine periculis, desolationis extremae dispendijs exponeretur.* Scilicet non assecuti Bonifacij mentem, cui non infederat, cunctos totius regni Prælatos aut magistros, sed legitimã tantum morã non impeditos, ad se vocare: nec eos quidem perpetuo retinere in curiã, sed habito eorum consilio super statu & necessitatibus regni, breui dimittere.

Nonnulli ipsorum, expositis periculo personis; bonisque in prædam relictis, Bonifacio se stiterunt. Scilicet tam veneranda illius visa maiestas, tam iusta causa, vt nulla eos ignominia, nulla Regis ira, non indignatio, aut discrimen vitæ, ab exhibendis Pontifici obsequio, cultuque deterruerint. Similiter Philippus Antisiodorensis Præsulem, ad Urbem delegauit, qui Episcoporum non comparentium, causã ageret, peteretq. cõperẽdinari. Venit Romam Antisiodorensis, iunctisque cum Iacobo Andegauicæ comite, Regis fratre officijs ad Bonifacium deliniendum, de Regis pacatiori mente sponndit.

Rex

Rex vero longe aliter comparatus fuit. Veritus enim ne ecclesiasticum Bonifacius iacularetur fulmen, obseruari præcepit itinera, ne quis ad urbem proficisceretur, aut literas inde deferret aut promulgaret, propositâ fortunarum & capitis in temeratores pœnâ; edixit ne Principes Ecclesiarum spiritali gladio vteretur: negavit quopiam mitti posse a Bonifacio nuntios; iussitque pecunias colligi contra tenorem Bonifaciani edicti. Quam terribilis Deus in consilijs suis super filijs hominum, perper ea puniens, per quæ peccatur,

Sub id tempus tota Flâdria ceu regni Galliæ prolatum Pomœrium Francis parebat. Videbantur Incolæ Massonio recte præsentî fortunâ contenti, nunquam rebellionem facturi & Gallo Flandriam ingredienti, venerabundi omnis generis, cuiusque ordinis mortales, cum liberis occurrunt, manibus admiscere faustis, ominibus lætis, acclamationum vocibus, plausibusque ac effusissimis studijs, immodico gaudio, patefactis, templis, hymnisque concinentibus, campanarum tinnitu, ornatu viarum arearumque, ludis, festis, matronis virginibusque cum amplissima veste mundoque prospectantibus, speciosissimis magnificisque rebus expositis, publice priuatimque studijs, hilaritate, festiuitate, sumptu, cultu, ostentatione. Et Emilius in Pulchro certabant inter se, ut recenti dedicatione, Regi Francisque, voluntatem suam, animum, fidem, obseruantiamque illustri testificatione probarent, & mox omnis ex propinquo nobilitas præsto adsuit, militarium equestriumque certaminum simulacra commissa, præmiaque victoribus data. Nihil honoris officijue exco-

Massonis in
Pulchro.

Emilius in
Pulchro.

gitari

gitari potuit, quod tunc fuerit pratermissum. Nunquam Flandria amantiorem obseruantiorque gallici nominis visa. Philippus autem, cum maleuolorum abreptus deceptusque consilijs, pontificiam imminuere maiestatem, dominium spernere contendisset, hos sic amantes obseruantesque Flandros, suum detrectantes imperium habuit, audaci vero defectione rebelles, cum ipse debitam vicario Christi obedientiam seposuisset. Res erat.

Meyerus Annal. Fland.

Flandriae infima plebs tributis vexata immodicis, tantum non imitata siculos, nomen propemodum alijs vesperis fecerat, Gallis, quotquot reperiri poterant, interfectis. Quatuor millia Brugis vna nocte cecidere. Cogitabat Philippus ingenti exercitu conscripto, occisis suorum manibus inferias mittere, Flandrosque exterminare, sed infeliciter cogitata, cesserunt.

Nam comes Atrebas, cui summa belli a Rege delata fuit, consilio prudentiae & utilitatis pleno, quod certam ei spondebat victoriam, posthabito, & praelio temere commisso, seipsum & fortissimorum militum exercitum perdidit, Regem, regnumque Galliae miseranda inuoluit clade. Pugnae euentum S. Antoninus refert hunc in modum: *Superatus fuit exercitus Francorum a Flandrensibus, & ita exterminatus, ut sex millibus equitum occisis, & pedibus sine numero interfectis, cum multis militibus, Ducibus & Baronibus pauci euaserint. Sicque humilitati sunt, ut discerent, quia non in multitudine populi victoria Belli, sed a domino. Ex Flandris vix centum desiderati, vulnerati plurimi.*

S. Antoninus
3. p. c. 8. S. 19.

mi. Mirum profecto, & orbis stupore dignum
 fuisset, florem militiæ totius orbis eo conflictu de-
 messum prostratumque a viris armorum rudibus,
 ni Atrebatem contumacia sua in sacrorum Princi-
 pem dedisset tanta clade cædendum. *Deum se mper* Theodoret.
sequitur victoria, & ad eos accedit, quibus se ducem præ- lib. 4. c. 2.
bet: quis igitur admiretur, illam auersatam fuisse
 Comitem belli ducem, qui Deum offenderat in vi-
 cario suo, hostibusque conciliarat diuinum auxiliũ,
 quò ipse exutus, luculentas contumaciæ pœnas de-
 dit. Ipsemet Atrebas ac Petrus Flota, qui præcipue
 in Bonifacium maledictis insanierant, vindicante
 numine, cecidere. Pugnam hanc in mensem Iuliũ
 optime reijciunt Nangiacus & Meyerus, vigesimo
 enim primo mensis Mart. in quem Massonius eam
 docet incidisse, quin & XI. Aprilis Atrebas & Flo-
 ta conciliabulo interfuerunt Parisijs celebrato.

Sed redeamus ad Bonifacium, qui calendis No-
 uembribus præstitutis comitia celebravit Romæ.
 Cum vero impar tanto negotio numerus Prælato-
 rum e Galliã aduenisset, *post multas coruscationes con-* Odericus Ray.
tra Regem, verba sunt Anonymi apud Odericum nal. ad. ann.
Raynaldum, nulla pluvia est secuta. Quippe, tametsi 1302. m. 12.
 animi & causæ fidens Bonifacius nullatenus dubita-
 bat, Gallos, qui Romæ conuenerant in ea, quæ ipse
 cogitabat decernere, concessuros; existimauit tamẽ
 e suo & ecclesiæ decore non esse paucorum e Galliã
 hominum arbitrio statuere, quod intererat totius
 regni.

Odericus Raynaldus latam ait in eo Cõcilio, seu

B b

quo.

quocumque nomine censeatur, constitutionem
 unam sanctam Catholicam, quæ relata in corpore
 iuris, dignissima est quæ perennet æternitate; sic v-
 nitatem declaravit fidei, diffiniuit vnum Caput v-
 nius Ecclesiæ, distinxit Pontificis auctoritatem,
 illique omnem humanam creaturam subijci pro-
 nuntiauit. Grauißimos tamen exciuit motus in
 Gallia, satis iam ab ipso auersa. Nempe sicut iete-
 rici quodcumque intuentur existimant flauum esse;
 eundem ad modum, fingentes Bonifacium totius
 orbis imperium meditari, vniuersa illius decreta ar-
 bitrati sunt eò collimare, vt suum in orbis regna,
 dominium stabilirét. Et persuasio hæc ad eã men-
 tem deuexit nonnullos, vt sanctissimam & nunquã
 interitura memoriae sanctionem flammis absum-
 pserint. Nec desierunt illam persequi, donec Cle-
 mens V. ad supremos Ecclesiæ fasces assumptus, de-
 clarauerit, nullum eo praiudicium fieri Regi & Regno
 Gallia; nec per illam Regem, Regnum, Regnicolas prali-
 batos, amplius ecclesiæ subiectos esse Romanæ, quam an-
 tea existebant.

Ioannes Ty-
 les. de Regibus
 Francia.

Extrasag. me-
 ruit c. 2. de
 privileg.

Datum Late-
 uani. in festo
 dedicat. Basi-
 licæ S. Petri.
 1268. VII.

Interea Bonifacius cum accepisset vias omnes
 occludi, ne Gallis esset commercium cum Romanã
 Curiã; sacrorum vsu ijs Interdixit, qui ad Sedem A-
 postolicam venientes vel redeuntes ab eã caperent, spo-
 liarent, vel detinere præsumerent, aut impedimentũ ali-
 quod exhiberent quo minus ad eandem sedem libere cum
 personis, bonis & rebus suis venire & redire ab eadem
 possent. Demum vt nihil eorum præteriret, quæ Re-
 gem possent reducere, ad instar euangelici Patris,
 post

post alias legationes, specialem filium Ioannem Cardinalem Monachi, in quo clara multiplicis merita probitatis, & virtutum dotes vberes refulgebant, mandauit ad exhortandum Philippum, vt Romanæ Sedis merito succensenti vellet audiens esse. Atque vt non pœnam, sed pœnitentiam ostenderet a se desiderari, petenti, absolutionem donari iussit. Quosdam insuper articulos dedit ei proponendos, vt quid læsa iustitia remedij exigeret, videri posset.

Articuli prolixi admodum sunt, eos tamen hic inferemus maiori forsitan historiæ fide, quam decori. Si tædio lectoris, certe ægritudine nostrâ, qui facile videmus nimium sic intercipi filium orationis. Sed ita & meâ referre existimo & historiæ, vt alteram liberare, alterius astruere fidem tutius & efficacius possim. Atque in re ancipiti, nouâ non semel sæpius lubricâ, vtinam non offensiua, ipsimet quorum in hac scenâ partes præcipuæ, dum sua sensa, suis verbis loquuntur, testimonio manifesto sint, me non fabulas comminisci, sed res prout gesta fuerunt consignare posteritati: veritatem non contaminare, sed quo possum zelo, & sinceritate orbi proponere. Hęc dicta cupio, non solos ob hos articulos, sed quod ipsummet Bonifacium aliosq. grauissimos authores induxerim sua verba loquentes, siue quæ dixerunt publici iuris non existant, necessum autem fuit vt prostarent publicè, siue ipsos maluerim, & ratio ipsa poscebat, suis potius quam meis verbis loqui. Articuli autem fuerunt.

Super Renouatione consuetudinis, prohibitionis, &

Esopus an
nal. tom. 14.

Raynald. ad
Ann. 1303.
num. 34.

præcepti & impedimenti cuiuslibet præstitorum directe
vel indirecte per magnificum Principem Philippum Fran-
corum Regem illustrem, & per seneschallos, baliuos, offi-
ciales & familiares suos, venientibus ad romanam cu-
riam, seu redeuntibus ab eadem. Specialiter venerabi-
libus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, ac di-
lectis filiis electis Abbatibus & Capitulis ecclesiarum ca-
thedralium, & magistris in Theologia, iure canonico, ac
civilis, & alijs personis ecclesiasticis dicti regni, vocatis
a nobis, quod in calendis Nouembribus proxime præte-
ritis, nostro se conspectui præsentarent.

Et super amotione cuiuslibet occupationis factæ per eum,
vel de mandato eius, aut aliquem prædictorum, & satis-
factione plenariâ impendendâ, non obstantibus quibuscun-
que multis, comminationibus seu processibus per ipsum
Regem factis, vel autoritate ipsius.

Item ad denuntiandum eidem, quod in quibuscumque
ecclesiasticis beneficijs conferendis, vacantibus in curiâ,
vel extra curiam, Romanus Põtifex legitimam & ma-
iorem habet potestatem, & post collationem cuiuslibet be-
nificij collati, in ipsis vel eorum aliquo, non potest alicui
ius acquiri, sine autoritate vel consensu apostolicæ Sedis
tacitis vel expressis.

Item ad denuntiandum vel declarandum eidem, quod
Romanus Pontifex Legatos de latere ac Nuntios mittere
potest ad quævis imperia, regna vel loca, prout vult,
absque petitione cuiuslibet vel consensu; usu vel consue-
tudine contrariis nequaquam obstantibus.

Item quod Ecclesiasticorum bonorum, & prouentuum
administratio, non quibusuis laicis, sed personis ecclesia-
sticis

sticis noscitur attributa. Et quod summa potestas administrationis, & dispensationis eorum ad apostolicam Sedem spectat: Et quod ipsa sedes nullorum requisitis assensibus de illis disponere potest, & nunc centesimam, nunc desimam seu quamvis quotam imponere, petere, & exigere, prout viderit expedire.

Item quod ipsi Regi aut alijs Principibus, seu laicis quibuscunque, non licet censere, seu occupare bona ecclesiastica, vel iura, in casibus non concessis ab homine vel a iure, vel Praelatos seu alias ecclesiasticas personas, super personalibus actionibus, iuribus seu immobilibus bonis, quae ab ijs non tenentur in feudum, ad suum iudicium trahere, & arctare, aut inquestas fieri facere, aut quomodolibet detinere. Quomodo etiam impeditur spiritualis gladius Praelatorum, ut eo libere uti non possint, & specialiter in monasterijs, seu locis quorum guardiam Rex ipse recipit, aut Praedecessores Ipsius.

Item quod in praesentia dicti Regis, nec sicut potuit prohibentis, multis praesentibus, Bulla nostra, & littera, quibus erat appensa, cum imaginibus beatorum Petri & Pauli & nomine nostro sculpto in ipsa combusta, & destructa fuerint in dicta sedis contumeliam & contemptum. Per Procuratorem idoneum, cum sufficienti mandato compareat coram nobis, suam si poterit innocentiam ostensurus, & nostris pariter beneplacitis & mandatis. Et quomodo nos concepimus reuocare omnia privilegia bullata, & Praedecessorum nostrorum sibi, liberis, fratribus, & Posteris, aut officialibus suis concessa, ut poena tanti facinoris transeat posteris in exemplum. Item guardia & custodia ecclesiarum cathedralium vacantium, quas vac-

cant

cant Regalia; per abusum non abutatur, nec vacationis tempore extendat manus ad cadendas sylvas nō caduas, vel ad vacuanda seu destruenda viuaria, & ad alia illicita ecclesijs ipsis damnosa. Quodque habitationes, domus, maneria non depereant, sed in statu congruo conseruentur, & massaria ouium, & aliorum animalium, debito teneantur in statu, & deductis expensis opportunis, necessarijs, & moderatis ad custodiam, seu guardiam, & perceptionem prouentuum, quod in residuum fuerit, reseruetur futuris Pralatis resignandum, & quod qui secus fecerit non solum coram competenti iudice, sed etiam tremendo iudicio cogetur reddere rationem:

Item de gladio spirituali reddendo Pralatis & ecclesiasticis personis, non obstantibus priuilegijs sibi, liberis, fratribus, & posteris suis, aut officialibus suis concessis, cum non obstantibus, & clausulis opportunis.

Item aperiendi sunt oculi Regis super mutatione moneta, bis a temporibus paucis facta, in magnum damnum pralatorum, Ecclesiarum, Baronum, & ecclesiasticarum personarum, & saecularium, & quod ad restitutionem teneatur & quod faciet emendari.

Item reuocanda est memoria, super suis & suorum malefactis & excessibus, de quibus fit mentio, in literis nostris clausis, quas portauit dilectus filius Iacobus Normannus Notarius noster.

Item quod nos testamur, non tantum ut priuata persona, sed etiam papaliter decernimus, huius nostro dicto testimonio esse standum, quod ciuitas Lugdunensis, suburbia & contingentia adificia, siue horti, nō sunt infra terminos & limites regni Francie constituta. Nec etiam

Ecclesia & villa S. Irenei, nec etiam locus qui dicitur S.
 Iustus supra seu prope Lugdunum, & quod prædicta ciui-
 tas, castra, terra, possessiones ad dictam Lugdunensem
 Ecclesiam pertinentia, merum & mixtum imperium, &
 iurisdictio in iisdem, sunt iuris & proprietatis præfa-
 tæ ecclesie Lugdunensis & pertinet ad eandem. Quod Rex
 ipse, & quilibet Reges Francia nec habent, nec habere de-
 bent in ipsis vel eorum aliquo ius aliquod vel rescriptum.
 Et quod dicta ciuitatis vniuersitas, communitas, siue eius
 singulares, siue speciales per sona ipsius, nec merū nec mixtū
 imperium, nec iuris dictionem habent in ciuitate, subur-
 bijs, hortis vel edificijs contingentibus, aut in castris, pos-
 sessionibus prædictis, nec etiam in Ecclesijs, seu villis, vel
 locis S. Irenei, vel S. Iusti præfatis. Et quod per conces-
 sionem, vel commissionem qualitercumque ipsis, vel eo-
 rum alicui præfato Regi Francia factam, sub quavis for-
 mæ vel conceptione verborum, aut etiam faciendam, me-
 ro aut mixto Imperio ac iurisdictione in prædictis ciuitate
 suburbij, edificijs contingentibus territorio seu districtu,
 Castris, villis, possessionibus, terris seu bonis aut ipsorum
 aliquo, nullatenus vti possunt. Ipsasque vniuersitatem,
 cōmunitatem, ciues singulares, & speciales personas Lug-
 dunenses, commissione vel concessione huiusmodi, vel quā-
 vis aliā non posse, seu ipsa, vel ipsorum aliqua vel ipso-
 rum aliquid exercere. Quibus etiam omne ius, omnemq.
 potestatem condendi ordinationes, & statuta municipa-
 lia, nos penitus interdiciamus, maxime cum speciales per-
 sonæ ciuitatis eiusdem sint excommunicationis sententiā
 innodata, & ciuitas ipsa ecclesiastico supposita interdicto.
 Et quod Archidiacono, & capitulo Lugdunensi, clericis,

& vas-

¶ Vassallis seu hominibus ipsorum de damnis & iniurijs ijs illatis, satisfactio plena fiat: nec impedimentum præstetur, quominus auctoritate Ecclesie Lugdunensis, merum & mixtum imperium & iurisdictio in dictis ciuitate suburbijs, villis, castris, terris, possessionibus bonis & locis valeat exerceri.

Item expresse denuntiandum est Regi per Cardinalem eundem, quod si Rex prædicta non correxerit, & emendauerit taliter infra certum tempus, quod & Nos & Apostolica Sedes merito contentemur, quod a nobili viro Iacobo Andegauie Comite fratre eius, & ab eiusdem Regis Nuntijs datum est nobis intelligi: ex tunc Nos & Sedes eadem, super præmissis prouidebimus, statuendo, ordinando, declarando, & procedendo spiritaliter, & temporaliter, prout & quando videbimus expedire.

Cardinali præterea mandatum, vt Galliarum Episcopos euocatos anno superiori ad celebrandum Romæ concilium, iterato citaret edicto ad comparandum coram Pontifice, recepturi pro meritis, aut suam si possent innocentiam ostensuri.

In Bulla ad
Ioan. Card.
Monachi in-
serius.

